



SIGISMUNDUS ille in Bohemia honestis parentibus natus anno circiter 1495. Is cum felici ingenio esset præditus, artibus & linguis magna diligentia incubuit, & earum magnum sibi usum comparauit. Postea sese Basileam contulit, atq; suam operam Hieronymo Frobenio & Nicolao Episcopio addixit. Itaq; in eorum officina longo tempore permansit, atq; optimos quosq; authores Græcos atq; Latinos singulari dexteritate à mendis repurgauit, & ut castigatissimè ederentur, curauit. Erat ipse corpore procero, sed modestissimo ingenio, atque ad literarios labores intētissimo. præterea moribus inculpatis, & religionis cupidissimus. Inter

labores autem typographicos uarias quoq; lucubrationes edidit, atq; suis uigilijs omnibus doctis innotuit. cum enim diuersis linguis & uariarum rerum cognitione esset doctissimus, scripsit Lexicō Symphonum, quo quatuor linguarum Europæ familiarium, Græcæ scilicet, Latinæ, Germanicæ, & Slavoniæ concordia consonantiaq; indicatur. atq; Basileæ 1537 edidit. Annotationes quoq; in Liuj Historiam, ac etiam in Plinij naturale opus publicavit. Postea uero maiora aggressus, Dionysij Halicarnassei de gestis Romanorum Historias è Græco in Latinum sermonem transtulit. Paræ dexteritate uertit ex Græco Iosephi Historias iudaicas, atq; puriori dictione publicè exhibuit. Quin & Eutropij Historias emendauit, atq; rem literariam multorum authorum restauracione plurimum adiuuit. Cum Sigismundus talis esset, atq; privatim sibi tantum & literis uiueret, tandem anno ætatis circiter 60, salutis uero 1555 Basileæ obiit, & ad S. Petrum honestè sepultus fuit, Anon. Con. Lycosth.